



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac
Apostolica Historia**

Steinhart, Franz

Ingolstadii, 1734

VD18 90104692

Manasses, Pontifex Judæorum & Dux.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

producere cœperunt. Eos excivit nimia Carthaginensium potentia non in Africa solum sed & Hispania, Corsica, Sardinia, vicina Sicilia, terra marique dominantium; quare etiam nunc primum rem nauticam attigerunt, classemque parârunt, primò quoque argentum signârunt, postquam collegerunt ingentem illius vim ex debellato Pyrrho Epirotarum Rege & tam multorum jam populorum tributis.

Ab An. 3719.

Manasses, Pontifex Judæorum & Dux.

Leazaro in Pontificatu successit Manasses ilius Patruus. Antiocho verò pariter mortuo filius Antiochus secundus; quo regnante totius ferè orientis ultra Euphratem populi à Macedonibus, qui à tempore Alexandri eis dominabantur, defecerunt; sed & jam antea certantibus inter se Alexandri commilitonibus excusso Græcorum jugo surrexerant Regna Ponti, Bythiæ, Pergami, Armeniæ, & Cappadociæ, quod ultimum Mithridates Pater & Filius fundârunt.

Varia Regna excussò Macedonum jugo in Asia iurgunt. Antiochus II. Ab An. 3737.

Inter Reges quoque Ægypti & Syriæ ab aliquot annis enata sunt hostiles iniuicitiæ, quibus ut demum finem imponeret Ptolomæus, filiam suam Berenicem Antiocho uxorem dedit unâ cum ingenti auri argentique summa dotis nomine; ob quam aliâsque dotes eidem Antiochus coronam imposuit locoque Reginæ habuit, Laodice, quam jam antea uxorem habuerat, in concubina locum detrusâ; quæ contemptum ultura post aliquot annos Antiochum primò, deinde etiam Berenicem ejusque filium necavit, simulque nefariis his cadibus suo filio Seleuco adiutum ad Regnum patefecit. Itaque post Antiochum regnavit in Syria Seleucus hoc nomine secundus. Eodem anno in Ægypto vivere desit Ptolomæus secundus, & imperare cœpit ejus filius Ptolomæus tertius. Sed & Manasses hoc tempore senex mortuus est; cui in Pontificatu successit Simonis Justi filius.

Pax inter Ægypti & Syriæ Reges.

Seleucus II. Ab An. 3752. Ptolomæus III.

Onias II. Pontifex Judæorum & Dux.

Ptolomæus infanda Laodices scelera ulturus cum exercitu in Syriam venit, quam etiam victo Seleuco ac Laodice interfecta totam ferè occupavit, multòsque deinceps annos tenuit,

Ab An. 3771.

Judæa venit in potestatem.